



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

XX. De prudentia Christiana, & diuinis eius effectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

## CAPVT VIGESIMVM.

*De Prudentia Christiana, & diuinis  
eius effectis.*

PRudentiam definit S. Augustinus vt  
sit appetendarum & vitandarum re-  
rum scientia: Primum eius officium est  
de medijs ad finem idoneis consulere,  
& circumstantias rei examinare: Se-  
cundum est, ex circumstantijs rei, &  
prudentiæ regulis quid faciendum,  
aut omittendum sit iudicare: Tertium,  
hoc iudicio voluntatem mouere. eiq;  
certo quodam modo executionē lau-  
dabilem, omissionem autem vitupe-  
rabilem imperare.

August. l.  
83. quest.  
q. 30. & l.  
1. de liber.  
arb. c. 13.

Ex quo patet Prudentiam actiones  
aliarum virtutum dirigere & regula-  
re, non destinando eas in finem ali-  
quem, sed ipsa media, quæ ad ta-  
lem finem conducunt ordinando.  
Atque hac de causa quamuis Pru-  
dentia sit virtus intellectualis, & in  
intellectu subiectetur, tamen cæteris  
moralibus, quæ in voluntate resident  
annumeratur.

Notandum præterea est, Prudentiæ Species  
supernaturalis ac infusæ perinde du-  
Prudentia

L as spe-

D. Th. 2. 2. as species esse, ac sunt naturalis & 11. 2. g. 47. a. acq̄uisitæ. Prior personalis seu Soli  
 11. 2. 2. q. 50. 2. 1. & 2. raria appellatur, qua homo semerip-  
 sum regit & bonū priuatū spectat: Re-  
 gnatiua altera, qua, alios dirigimus &  
 in bonū cōmune tendit: Vbi sciendū  
 est Prudentiā regnatiuā diuersimodē  
 de circa diuersa obiecta versari, ideo  
 que etiam diuersis nominibus appel-  
 lari: Si enim familiā regat œconomi-  
 ca dicitur; si ciuitatē civilis; si populū  
 politica; si exercitum militaris.

Verum licet hęc omnes species Pru-  
 dentię nomen sortiantur, propriē ta-  
 men soli Prudentię personali compe-  
 tit; neuiquam enim nomen iustitię  
 mererentur, nisi ita exerceatur, ut nul-  
 lum Damnum iustitię particulari in-  
 feratur. Atque hęc de Prudentię no-  
 mine & speciebus,

*Partes In-  
 stitiæ.*

Partes autem eius integrātes varię  
 sunt & in magno numero: Vt enim  
 quis perfectē sit Prudens, necesse  
 est, ut habeat viuidam memoriā eo-  
 rum, quę vidit, audiuit, legit, aut ex  
 perientia didicit: secūdo intelligētiā  
 seu intellectum status negotiorū præ-  
 sentium, & principiorum moralium

INTRA

iuxta quę dirigi debent: Tertio Pro-  
 uidentiam, qua agendorum successum  
 & euentum consideret: Quarto, Soler-  
 tiam qua vnum ex alio colligat: Quin-  
 to, Docilitatem, vt seniorum ac pru-  
 dentum iudicia inquirat, ijsque acqui-  
 escat: Sexto, Sagacitatem & ingenij vi-  
 gorem, quo celerrime perspicit, quam  
 ob causam hoc agendum, illud omit-  
 tendum sit: Septimo, Circumspectio-  
 nem seu sollicitudinem, qua circum-  
 stantias ita inter se comparet, vt nulla  
 omittatur: Octauo, Cautionē, qua in-  
 comoda omnia euitet. Si quis hęc om-  
 nia habuerit, pfectos act<sup>9</sup> Prudentiæ e-  
 licere poterit, maximē si à tribus alijs *Prudentia*  
*afecta.*  
 virtutib. quas tāquā ordinarias comi-  
 tes habet, adiuuetur. Scil. Eubulia, quę  
 iuxta cōmunia morū principia cōsu-  
 lit: Synesis, quę ex ijsdem iudicat: Gno-  
 me, quę in iudicio secreta quædā prin-  
 cipia, & intentionem legislatoris po-  
 tius, quam legis tenorem, sequitur.

Et his quidem lineamentis Docto- *D. Tho. 2.*  
 res nobis Prudentiam depingūt, eius- *2. q. 47.*  
 dem autē excellentiam & in præsentī *o 50.*  
 vita vtilitatem nō minus graphicè de-  
 scribunt, nam vt aiunt, Prudentia est

l 3 quę

quæ instar Reginæ cæteras omnes vir-  
 tutes regit ac dirigit: Ipsa est, ut inquit  
*Cassia.* apud Cassianum Antonius, quæ per  
*coll. 2. c. 2.* viam rēgiā nos ducit: Sine ea, ut do-  
*August. de* cet August. neque iustitia, neque vlla  
*m. r. Eccl.* alia virtus haberi potest; Idem docue-  
*l. 1 c. 24.* rat Basilius, & in eundem sensum au-  
*B. sil. cōst.* Bernardus, Prudentia & discretio nō  
*Monast. c.* tã virtus est, quam rectrix & directrix  
*15.* virtutum; aufer eam & erunt vitia: I-  
*Bern. Ser.* mō non solum virtutes regulat, verū  
*44. in* etiam vitia eiusmodi virtutibus ex-  
*cantic.* posita expellit: In exilium enim eijs  
 proculque relegat Præcipationem,  
 Inconsiderationem, Inconstantiam,  
 Negligentiam, adeoque ipsam Pruden-  
*Rom. 8.* tiam, quam carnis appellat Aposto-  
 lus, cui proprium est (ut inquit Do-  
 ctiores) Astutiam, Dolum, fraudem, &  
 Sollicitudinem circa temporalia ge-  
 nerare: item omnia in commoditate  
 carnis, honores mūdi, & terrenas di-  
 uitias dirigere, ac frequenter quibus-  
 dam politicis regulis & principijs  
 quæ Rationes status appellantur, ut  
 iuxta quorum dictamen omnes nostræ  
 actiones, tempus, & industria in rebus  
 corporalibus, absque vlla spirituali

solli-

sollitudine insumitur. Quod sane malum perniciosissimum cum sit, Deū irritat, eiusque iram aduersus nos cōcitatur, unde ait, *Perdam sapientiam sapientum, & Prudentiam prudentum repro-* 1. Cor. 1.  
*babo.* Quod non de vera Sapientia, aut prudentia intelligendum est, cum eā Christus commendat dicens, *Estote prudentes, sicut serpentes: & simplices* Matth. 10.  
*sicut columbae:* Sed de prudentia huius mundi, & mundanorum hominum, quos perdet & reprobabit Dominus, quia per Prudentiam carnis suos actus regularunt: Illi autem qui Prudentiā spiritus sequuntur, & pro scopo suo habent id quod verè est laudabile, & rectæ rationi consentaneum, grati acceptique Deo erunt.

Paret itaque conditionem Christianorum multo feliciorum esse quam aliorum hominū cum illis solis collata sint media per quæ gratia, & cum illis Prudentia, annexæque virtutes conferantur. Hæc enim prudentia docet eos maturè de quavis re deliberare, & salutis suæ aptissima media eligere, & electa usque in finem constanter, ac diligenter prosequi, in omnibus suis acti-

*Effectus  
Prudentia.*

onibus genuinum candorē adhiben-  
 tes, & iuxta consiliū Domini ante om-  
 nia regnū Dei & iustitiā eius inquire-  
 res; præferunt enim animā corpori, &  
 æterna gaudia tēporalibus; diuitias  
 perdurabiles perituris; honores nun-  
 quā perituros, ijs qui instar fumi euas-  
 nescūt. Et hæc est Prudentia, cuius me-  
 titio fit in parabola decē virginū, quarū  
 quinque erant prudentes, quinque ve-  
 rō fatuę. Hæc est illa prudentia, quæ  
 veniente sponso Christianis animab.  
 cęli ostiū reserauit: Hæc est ipsa quæ  
 eisdem etiā nūc in regno cęlorū Chri-  
 sto cōregnare facit. Quāti ergo hæc vir-  
 tutem valere nos existimare oportet  
 quātū eā amare & prosequi decet?

*Matth. 6.*

*ibid. 25.*

*Infideles  
 ea. carent.*

Infideles, & qui extra Ecclesię gym-  
 sūt, & vt verbo finiā omnes impij, hæc  
 diuina Prudentia carēt; ideoq; in hoc  
 mundo se oblectant, & terrenis diu-  
 tijs delectantur, mundi honoribus tri-  
 stillantur, carnis desiderijs perfruen-  
 tur, & quod amplius est, iustos hæc  
 vana & transitoria, quæ ipsi tantope-  
 re ambiunt contemnentes, ipsi impu-  
 dentissimè simul & imprudentissimè  
 deridēt. Sed veniet aliquando tempus  
 cum

cum hos, quos aliquādo in derisum & similitudinem improperij habuerūt, receptos cęlo; se aut̄ inferno addictos videntes, indignabundi, vt est apud sapientē, dicent, *Nos insensati* <sup>ut illorū</sup> *astimabamus insaniam, & sinē illorū sine* <sup>Sapient. 3.</sup> *honore: Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorū est.* Dicēt hęc admirabundi, pœnitētiam agētes, & prę angustia spiritus gemētes: verū sera nimis tunc erit pœnitētia; nā cū fatuis virginibus oclusum pœnitentię ostium inuenient. Si itaq; mihi credant, tempestiuē sibi prouideant, & vt veram Prudentiam acquirant, annitentur: *Beatus enim homo, qui* <sup>Pro. 3.</sup> *inuenit sapientiam, & qui affluit Prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione auri & argēti. primi & purissimi fructus eius: Via eius via pulchra, & omnes semite eius pacificę.*

Modus autem acquirendi Prudentiā, & reliquas virtutes morales, idē est cū illo, quo dixim⁹ virtutes theologicas obtineri, nimirū se bene ad gratiā suscipiendā disponere, omnes .n. hęc virtutes simul cū gratia infunduntur. Vt <sup>Modus ex-</sup> *autem Prudentiā exerceamus, primū Prudenti-* <sup>ercendi</sup>

• L 4 cauen. am.



cauendum est à falsa Prudentia, quæ  
 carnis appellauimus, ne scilicet diu-  
 na humanis regulis dirigamus; aut di-  
 gnitates & honores Religioni, diu-  
 noq; cuncti præferamus; In hoc enim  
 peccauit Ieroboam, qui timens, mul-  
 tos è suis subditis ad Roboam defectu-  
 ros, si permitteret illis Ierolimam  
 adoraturos verum Deum abire, vitulos  
 aureos ijs erexit, & ad idololatriam in-  
 duxit: Secundò, omnem omnino affectum  
 exuere debemus: nam, vt inquit Phi-  
 losophus, Quales sumus, ita iudica-  
 mus: Si enim voluntas nostra in rem  
 aliquam feratur, intellectum, vt eam  
 bonam iudicet, inclinatur, ac media pro  
 consecutione imperet, persuadet; Si  
 autem displiceat, conatur intellectum  
 inducere vt eam improbet, & media  
 euitandi dicet. Idem enim talibus  
 contingit, quod per coloratum vitrum  
 aliquid intuentibus euenire solet; si-  
 cut enim tale vitrum rubeum repræsen-  
 tat, quod album est; aut viride, quod  
 violaceum; ita etiam affectus vtile,  
 inutile; & turpe, laudabile iudicat:  
 Tertio, oportet sapientum, & eorum,  
 qui in simili negotio versati sunt iu-  
 dicium

3. Reg. 12.

dicium inquirere, consilio acquiescere. Veræ enim Prudentiæ est suæ solius prudentiæ haud confidere; ideoque benè dixit Sapiens, *In multitudine Ecclesi. 6. presbyterorum prudentium statur & sapientia illorum ex corde coniungere: Et si videris sensatum euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exteant pes tuus.* Vult itaque ille nos consilium senum prudentium sequi, non stultorum iuuenum temeritatem; acquieuit talium suasionibus Roboam, & maximam regni partem amisit: Maluit Achaz consiliū 3. Reg. 22. falsorum Prophetarum, & palponū, qui ei omnia fausta acclamabant audire, quam viri Dei, qui ei tristia denunciabat sequi; & malè multatus morte perijt, totusque eius exercitus in fugā actus abiit.

Quamuis autem hæc tria monita quosuis prudenter deliberantes concernant, maximè tamen Christianos, eosque qui in aliqua dignitate constituti quicquid libuerit effectui mandare possunt: Si enim hi dictamen carnis & mundi audiant, affectus suos sequatur, proprio se cerebro gubernent, maximè si iuniores sunt, & absque experi-

pericietia, dubio procul omnia pertur-  
 babunt, sibi alijsq; iniuriã irrogabunt,  
 impediẽtes Prudentiã diuinã quã  
 minus in suos actus exeat. Neque tamẽ  
 suffecerit Prudentiam carnis fugisse,  
 affectiones suas deposuisse, sapientio-  
 res consuluisse, vt omnem temerari-  
 um actum euicemus: Sed in super eum,  
 quem consulimus meminisse oportet  
 eius, quod dicit Sapiens, *Prudentia tua  
 pone modum & Apostol. Non plus sapa-  
 re, quam oportet sapere; sed sapere ad so-  
 brietatem: & infra, Nolite esse pruden-  
 tes apud vosmetipsos; Prouidentes bona  
 non tantum coram Deo, sed etiam coram  
 hominibus; quasi dicat, Antequam lo-  
 quaris benẽ considera quid dicturus  
 sis: alias enim facilẽ & ipse decipieris,  
 & alios decipies. Oportet itaque nos  
 esse instar animalium, quã vidit Eze-  
 chiel, plena oculis ante & retro, ne si  
 coecus coeco ducatu praestet, ambo in  
 foueã cadant. Siue autẽ alios consula-  
 mus, siue ipsi alijs consiliũ demus, sem-  
 per ad preces recurrendũ est, & diui-  
 num à Deo auxilium, vt eius volunta-  
 tẽ cognoscamus, implorandum est: Si-  
 cuti enim ipse nobis habitum Prudenti-*

*Prov. 23.*

*Rom. 12.*

*Ezech. 10.*

*Matth. 15.*

cia infudit, ita etiam ab ipso eius exercitum sperari debet, Docuerunt hoc suo exemplo noui & veteris testamenti Patres, ut in Scripturis & vitis Patrum videre est; In omnibus enim suis negotijs cum Paulo dicebant, Domine *Aff. 9.*  
*quid me vis facere?* In aliorum autem consultationibus, Deum quid responderent interrogabant, sic S. Abbas Pabo, nulli aliquid, nisi præmissa oratione, consuluit.

*Pallad. in  
Lausiac.*

Ut autem concludam, hoc notatum dignum subiungam, quod sicuti in captandis consilijs non oportet esse precipites, ita in exequendo non deceat esse tardos; maximè cum post pias preces, & maturam deliberationem quippiam decreuimus: Dicit enim quidam, Diu quidem deliberandum est, sed quod semel statutum est, exequendum est statim, & ratio est, ne scilicet falsa aliqua Prudentia subrepat, quæ melioris boni specie, opinionem nostram euerat, & bonum propositum eneruet.

*Vide August. de  
Mor. Eccl.*

*Conclusio.*

Ecce ergo Prudentiæ Christianæ excellentiam, ac raros fructus, quos in anima sepius producit admiremini: Videte modum, methodumque; benè & utiliter

eam exercendi; Virtus enim virtutum  
 est, & omnium Regina, neque tantum  
 bonum facit, verum etiam quomodo  
 faciendum sit docet. Memori itaque  
 mente hoc singulare Dei beneficium  
 recolamus, eoque iuxta regulas, &  
*Matt. 10.* monita utamur, ut simus *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*,  
 uti Saluator nos monuit; Serpentes enim,  
 ut caput tueantur, reliquum corpus  
 plagæ exponunt: columbæ autem  
 simulatione nullum decipiunt; nos  
 utrumque in utrisque imitemur, candidè  
 & absque fuce omnia agamus, & pro  
 rebus pretiosis vilia quæque abijciamus,  
 animam corpori, coelum terræ  
 præferamus.

CAPVT VIGESIMVM  
 PRIMVM.

*De Iustitia infusa, & fructibus  
 quos profert.*

*S*icuti paucis descriptionem Prudentiæ  
 expediuimus, ita similiter Iustitiam,  
 cæterasque virtutes morales pertractabimus.  
*D. Tb. 2. 2. q. 80.* Nota itaque nomine Iustitiæ